



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

86. Fer. 3. Resignandæ voluntas nostra in voluntatem Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

MEDITATIO LXXXVI.

Feria 3. Dom. 2. Quadrag.

Resignanda voluntas nostra in voluntatem DEI.

Aspiciam voluntatem Christi absorptam voluntate DEI, sicut Stellæ absorbentur à Sole. Petam discere modum resignandæ voluntatem meam, in voluntatem Dei.

Conf. 1. Orantem Dominum: Si vis potes fieri enim potest, quod ille voluerit, ait D. Aug. ergo non ex impossibilitate, sed ex voluntate supposito decreto non erat possibile. Orabat tamen sinens naturam agere humanas partes suas, sicut egisset, si neque cum Divinitate conjuncta fuisset, nec de divino decreto quicquam scivisset. Itaque geminè hic velle ostendit, alterum carnis, passionem recusantis, alterum divinum, eam volentis, ut ait D. Achan. per infirmitatem petit ne fiat; per fortitudinem, ut fiat: ex hominis persona renuit, ex Dei Filij potestate confirmat. Docet humanæ voluntati præ poni voluntatem Dei. Semper habendus præ oculis horrendus ille carnis & spiritûs conflictus, orantis, & agonizantis, sanguinemque fundentis Christi, & tam profundâ sui resignatione se vincens, ut nulla unquam creatura, si omnium resignatio in unum conflaretur, inquit Suso in 9. rup.

Ita

I. Iterum 2. abiit, & oravit eundem sermonem
agens. Relinquere se, certissimum est contra
voluntatem lapsus præsidium: Quia quisque tentaturâ
concupiscentia sua, ergo qui nihil concupi-
scit, gratis tentatur, ut si quis impedientem
vestem abijciat, non poterit ab illa in cursu
impediri. Qui patitur id, quod non potest
evadere, neque ei se subtrahere, DEO est
tam gratum, ait Dominus D. Gertr. l. 3. c. 70.
ut humanitas nequeat discerni, quid sit gra-
tius, sponte vel necessitate pati: est enim hoc
sanctificatum verbo Christi, in extrema ne-
cessitate constituti, orantisque: *Pater, si fieri
potest, &c.* In renuntiatione sui denique late-
ars sanctitatis, intra unum Ave Maria con-
sequendæ: Quia sceleratissimus quisque ago-
nizans v. g. acceptis Sacramentis in volun-
tatem Dei ex toto se resignans, atque ita mo-
riens, est innocens, & sanctus. Ita Venerab.
Blosius in suo monili: & ratio est: Quia di-
vina voluntas est forma, & regula sanctita-
tis: si igitur nostræ voluntati uniatur, con-
tinuò ei dabit sanctitatem. O resignatio sui
aurium Dei laus, amoenitas oculorum, ho-
nor humanitatis, delectatio divinitatis, ex-
clamat, D. Gertr. l. 3. c. 64.

3. Relictis illis iterum abiit: & oravit: appa-
ruit autem illi Angelus de cælo (humana
specie, aliqui putant fuisse Michaëlem) con-
fortans

142 FERIA 3. DOM. 2. QUADRAG.

fortans eum Luc. 22. simili oratione: Domine, tu potes contra mortem, & infernum genus humanum liberare. Decretum Dei est immutabile: Medium est dolorosum: precium est sanguinis: finis est gloriosus: fructus omnium jucundissimus: hæc est voluntas DEI bona, quia præcepti: bene placens, quia consilij: perfecta, quia à Deo inspirata. *Proposito sibi* tum à Patre, tum ab Angelo, *gaudio*, si crucem subivisset, fore ut thronum obtineret divinitatis, confusione contemptâ, Hebr. 12. D. JESVS ad crucem se resolvit: *Non mea, inquit, sed tua voluntas, Pater, fiat.* Huic voci salutem meam debeo, quam nisi Christus meus addidisset, de salute mea, imò totius mundi fuisset conclamatum.

MEDITATIO LXXXVII.

FERIA 4. DOM. 2. QUADRAG.

Vehemens affectus liquefactionis, quod Christus D. Calicem pro me biberit.

Videho Dominum JESVM recipientem calicem amarum de manu Angeli, & bibeat. Petam esse gratus pro ineffabili ejus erga me dilectione.

Conf. 1. Quomodo factus in agonia (angore, angustia, anxietate animi) prolixius orabat, & factus est sudor ejus, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram: Crassiores guttæ veri